

[Faint, illegible handwriting on aged paper]



1672.2
TETRADES NOVEM

PROPOSITIO-
NUM PHILOSOPHICA-
RUM CUM ADJUNCTIS
Rationibus,

QUAS,

ANNUENTE TRIADE SANCTA IN MONADE
Benedictâ,

PRÆSES

M. BARTHOLOMÆUS SCHRÖTERUS
*Cosuvigius, Philo-mathem. in illustri
Soraborum Gymnasio Professor
lingue s. ordinarius.*

RESPONDENTE

ABRAHAMO THEOPOLDO SERVESTANO

*Ad placidam & candidam Dissertationem
Philomusis proponit.*

Ad d. III. Non. Septembris.

Alcinous.

Δεῖ ἐλαθέριον εἶναι τῆ γνώμη τὸν μέλλοντα φιλοσοφῆν.

SERVESTÆ,

Prælo Dorfferiano.

ANNO · c l o I o c x i i .

ILLUSTRISS.^{mo} & GENEROSISS.^{mo}

PRINCIPI AC DOMINO

DN. IOHANNI-GEORGIO PRIN-
CIPi ANHALTINO, COMITI A-
SCANIÆ, DYNASTÆ SERVE-
stæ ac Bernburgi &c.

AB

Intimis Consiliis,

VIRIS

ANTIQUA
ERUDITA
SUMMA

NOBILITATE
DOCTRINA
AUTORITATE.

CLARISSIMIS,

Dn. ERNESTO à KOT-
SCHAW &c. Præsidi An-
baltiaci Dicasterij Pru-
dentissimo.

Dn. PETRO à SEBOT-
TENDORPH &c. illust.
Principum Juniorum au-
le præfecto & Ephoro vigi-
lantissimo.

Dn. CHSISTOPH-ST-
GISMUNDO à BYLAW
iu Reipzig & Pfrimbgs-
dorff Hereditario, Mar-
chion. Brandenburg. Consi-
liario dignissimo.

Nec non

Viro Clarissimo & Consultissimo

DN. MICHAELI MASCO J. U. D. Sereniss. Electoris
Brandenburgico à Consiliis, &c.

AC

Viro Doctissimo & Prudentissimo

Dn. NICOLAÛ KINDIO N. J. ΑΕΙΟΠΙΣΤΩ, ΕΙΔΕΜ
Principi à Secretis, & Dioceseos Dessaviensis Prætori
Spectatissimo.

Omnibus & singulis

Patronis, Dominis & Fautoribus suis,

In perpetua Observantia Symbolum.

TETRADES hæc Philosophicarum Disciplinarum

Dedicat & Consecrat

PRÆSES.



PROPOSITIONUM
PHILOSOPHI-
CARVM
TETRAS PRIMA
Rhetorica

I. *An quinque istae partes, quibus persuadendi facultatem consequimur, omnes sint essentiales Systemati Rhetorico?*

Negatur. Quia Inventio & Dispositio conveniunt Oratori, ut est Logicus: Relinquuntur ergo Oratori, ut est Rhetor, tantum Elocutio & Pronunciatio, ut rectè notavit Ramus. Quibus addi potest Memoratio.

II. *An rectius Metonymia à Ramo, quàm Metaphora ab alijs constituatur Troporum, primus?*

Dist. Si locos Logicos observare velimus, inter quos omnium primus est Causæ, necessitas postulat, Metonymiam anteponendam Metaphoræ, utpote cum illa maximè ex loco Causæ, Effecti, Subjecti & Adjuncti oriatur; hæc verò ex loco Similium. Si verò præstantiam & excellentiam, ut Philippus & alij, spectemus; longè princeps est *Metaphora*, cui succedet *Ironia*, Tertius

eius erit *Metonymia*, postremus *Synecdoche*, ut Ramus ipse *lib. 1. c. 13. Rhet.* testatur.

III. *An Ramus omnes species Synecdoches posuerit? Et An species ista à Philippo posita omnes sint genuinae Et propriae Synecdoches?*

Neg. utrumq; Etenim cum juxta veritatem Logices Totum, ut & ejus Correlatum Pars, dividatur ita, ut sit vel *Totum integrale*, vel *Totum universale*, vel *Totum Essentiale*. Quorum istud est, quod constat partibus integrantes, Homogeneis, ut, aqua, sanguis, aurum, aut Heterogeneis, ut, Corpus, arbor, Domus: Illud, quod habet pro partibus suis, aut species, ut genus, aut individua ut species. Et hæc duo Tota Ramus solum spectat. Quod si etiam Totius Essentialis naturam consideremus, ex eodem Toto, etiam juxta Rami definitionem, Synecdoches modi seu species aliquæ erunt, videlicet hæc. I. *Cum Materia, ut pars Totius rei, pro re ipsa, confecta sumitur*: Et. II. *vice versa*: Prioris exemplum est Marc. 13. v. 20. Nisi breviasset Dominus dies, non salva fuisset *Omnis Caro*, id est, aliquis hominum: Posterioris; *cum vid. res tota confecta pro sui parte essentiali ponitur*, exemplum est; *Hominem occidisti*, pro corpore solo, quod vita sua privavisti. Nam Christus ipse dicit: Animam occidere homines non possunt; atqui verò solum corpus Homo dici minimè potest. Ideoq; notandum est, licet Philippus summionem materiae pro re inde confecta faciat speciem seu modum Synecdoches, Ramus verò Metonymias; non tamen esse eundem utriq; scopum seu considerationem, potest enim æquè vox una, In Rhetoricis, diverso suo respectu, ad diversos tropos & figura referri, ac in logicis argumentum dici

dici desumptum ex hoc atq; illo loco. Nam si materia sumitur ut pars essentialis, & totum intelligitur; vel cōtra, jure omni, etiā Rami definitione cōsentiente, Synecdoche erit. Si verò materia pro introductâ formâ aut Naturali aut Artificiali sumitur; vel cōtra, certè nihil aliud fit quàm trāsnominatio, id est, nominis unius pro altero positio, quod in prioribus ita se non habet, ut, quando dico, *Vulnerâsti iacobum*, totum essentialē, utpote res confecta, pro parte essentiali, solo videlicet corpore, ponitur; Itaq; Synecdoche est. Sed, si dico: *Æris acervus & auri*, Metonymia est, quia materia *Æs & Aurum*, pro formâ inductâ, videlicet, nomine dicitur. Atq; sic Metonymia & Synecdoche, quoad hosce duos modos veluti divisum habent imperium. Eodem modo III. *Continens pro contento positum*, & IV. *contra*; sunt species Synecdoches, si intelligantur res subordinatæ, ut totum & pars omnis generis, continet enim quodlibet totum suas partes, & hæ ab illo continentur, ut, pedem portâ non extuli. Si verò res disparatæ notantur, oritur Metonymia, ut, *exhaustum poculum*; Et, *Coronant vina*. *Ultima verò species, videlicet cum ex priore posterius; Et cōtra intelligitur*, malè à Philippo ad Synecdochen relata est, quia est Adjunctorum, ideoq; Metonymia Adjuncti: Antecedentia enim & Consequentia Adjuncta sunt, ut ex Logicis constat.

IV. An Memoratio locis & Characteribus expeditior, memoriâq; firmiter reddi queat?

Omninò multum. Etenim, quæ Dianō^{is} mentis sunt percepta, Characteribus sensuum externum objectis
A
confi-

consimilibus, vehementer admodum ratificantur & confirmantur.

TETRAS II.

Logica.

I. An Testimonium pertineat ad simplices terminos?

Affirm. Quia spectamus in testimonio non sententiam ipsam vel coordinationem & dispositionem terminorum, sed quatenus sententia seu enunciatio testimonialis necessario ex simplicibus terminis conflata & desumpta est. 2. Et necessario in eisdem resolvi potest. 3. Quia testimonium extra dispositionem *dividendi* & affectu; in dispositione vero actu & effectu arguit, id est, explicat & probat. Sententiam itaq; *Keckermani c. 3. lib. 3.* vocantis, ex appellatione Agricolaë, testimonia pronunciata, quasi dicas, integras propositiones & sententias; Atqui hæ non pertinent ad simplices terminos & iccirco media *verius* dicta non sunt, quia cum extremis Conclusionis non possunt meditari & combinari ad Syllogismi *verius* dicti constitutionem; Unde etiam in libro primo doctrinam de Testimoniis omisit; non probamus. Sed partem primam Logices concludere omnino affirmamus cum Ramo, quia non secus ut Definitio & Divisio, quæ etiam integræ sententiæ sunt, prædicantur, cum extremis Conclusionis combinantur, ad Syllogismi *verius* dicti constitutionem: ita & Testimonia.

II. An Syllogismi hypothetici sint Categoricalis logico præponendi?

Distin.

Distinguitur: In Logica Naturali, quali usi fuerunt Stoici, & non pauca eorundem exempla in Cicerone inveniuntur, omnino præponendi erunt, quia eorum processus simplicior, manifestior, & naturæ conjunctior. In Logica verò Artificiali, quali utuntur Peripatetici, & cujus systema conscripsit Aristoteles, Methodi ratio postulat, ut Categoricali tractatio præcedat, quia ratio argumentandi, ex suis principiis tam materialibus, quàm formalibus, qualia sunt termini simplices, propositiones & figuræ cum axiomatibus suis originem ducens, prius de Categoricalis ceu simplicioribus, quàm de hypotheticis ceu compositis agere præcipit.

III. An Doctrina Demonstrationis in Logicis sit supervacanea? ut vult Ramus: Et:

An omnia Aristotelicè possint demonstrari?

Negatur utrumq;: Quia hac ratione apparet syllogismi Necessarii divisio maximè necessaria hæc; quòd sit vel *δεικτικός* seu *αιαλιτικός* vel *ἀποδεικτικός* seu demonstrativus, quòdq; hujus sit finis scientia accidentis proprii: Illius verò scientia aliorum prædicatorum, utpote Generis & speciei, &c. Atq; sic notum fit τὸ ἴδιον substantiæ, itemq; cum existere de subjecto prædicatur. Et ipsi artium & scientiarum principia esse *αιαπόδεικτα*. Et præterea, licet τὸ ἴδιον accidentis proprii sit demonstrabile, tamen affectiones proprias multas esse, quæ de subjectis suis demonstrari non possint propter formarum, à quibus illæ proficiscuntur, ignorantiam.

tionem, ut, Solis maxima lux est : Item, Anima humana est rationalis.

*IV. An sit absurdum negare
Conclusionem?*

Distinguitur. Primò enim ex falsis verum concludi potest, ut indicat Aristot. 2. Prior. c. 2. 3. & 4. Item 8. Topic. 11. Et hic rectè Conclusio negatur, quia non sequitur totaliter ex naturâ syllogismi, qui suâ formâ & materiâ constat, sed tantum per accidens & ratione Formæ. Deinde sciendum est, Syllogismi considerationem esse duplicem *γένεσιν η̄ ἀλύσιν*: In ista conclusio negari non potest, quia, concessis præmissis, conclusio quoq; concedi debet. In hac vero quoniam conclusio primò occurrit, siquidem fuit ante *γένεσιν* problematis dati pars altera, Itemq; propositio, Syllogismi natura, vel affirmanda vel neganda, itidem rectissime negari potest: Et ratio est, quia præmissarum altera erit falsa.

TETRAS III.

Phyfica.

*I. An Homo post cibum ordinariè sum-
tum sit levior, quàm
ante?*

Affirm. Quia 1. Spiritus omnes & virtutes agentes se præbent, suntq; agiliores & leviores: Ergo sursum tendunt. 2. Quia humores concocti aliam naturam, utpote partium corporis assumunt, atq; sic per mixturem illam multum feculentia segregatur, tum per manifestas, tum per insensibiles evaporationes.

An

Exemplis quibusdam affirmativa videtur posse concludi. Attamen veritatem negativa sequentes rationes demonstrant.

I. Natura entis finiti non admittit, ut simul in pluribus sit locus. Hec n. solius infiniti entis est prerogativa; quam si finitum quoque ens sibi vendicaverit, infinitum erit. Itaque finitum esse, & in pluribus simul locis esse, est infinitum esse; est contradictionem implicare. Videant igitur sapientes nonnulli, qui unam animam in qualibet corporis parte, etiam secundum essentiam, totam esse clamitant & scriptitant: videant, inquam, qui manifeste contradictionis implicationem evitent. Sed parata hic ipsis responsio. Anima, ajunt, non est in corpore, ut loco, sed ut forma in materia. Ita etiam dici posset: Accidentis non esse in subiecto, ut loco. Sed inane hoc effugium. Quidquid enim finitum, id alicubi, seu in certo & proprio UBI est, sive ab eo definiatur, sive circumscribatur. Cum igitur anima & accidentis entia sint finita, in certo quoque erunt UBI, quod sive in materia sive in subiecto colles, perinde fuerit. At quo tandem UBI, nisi ad locum, retuleris?

II. Quod numerationem a subiecto accipit, idem numero in diversis subiectis esse nequit, sed ad subiectorum multiplicationem multiplicatur. At accidentia numerationem a subiecto accipiunt, testibus omnibus philosophis. Ergo.

III. Idem numero accidentis non potest in pluribus produci subiectis. Ergo nec in pluribus est. Ratio consequentia est, quia accidentia non sunt in subiectis nisi in iis producantur.

IV. Nec rationibus nec exemplis contrarium suaderi potest, ut in ipso disputationis cursu monstrabimus.

PROBLEMA VI.

An proprium unius subiecti sit communicabile alteri realiter diverso? Neg.

Non omnem propriorum communicationem absurdam esse & impossibilem, fatentur omnes. Generum n. propria communicari speciebus & spe-

B

bus & spe-

bus & specierum individuis, nemo negat. Itaq; ubi priorum communicationem locum habeat, haud immerito queritur. Orthodoxi priorum communicationem in iis duntaxat agnoscunt subjectis, quorum unum de essentiâ alterius est, quæq; nomina in primis invicem mutant, ut sunt genera & species, species & individua. Cum enim tota generis essentia speciei ita communicetur, ut in casu quoq; recto, & ὁμοῦ μὲν de eâ predicetur: quidni & propria eidem tribuantur, ita tamen ut ἑῷ γένει, ἑῷ τε ἑῷ speciei competant. Heterodoxi agra causa medicinam facientes, hac priorum communicatione non contenti, aliam comminiscuntur, quam locum habere ajunt, in iis quoq; que realiter, hoc est, specie & definitione differunt, modo uniantur invicem, qualia disparata, ignis & ferrum, anima & corpus, humanitas & divinitas. Atq; hæc assertio est, cui problema nostrum contradicit, rationibus hisce.

I. Que propria habent communia, ea essentiam & definitionem quoque habent communem. Atqui subjecta realiter diversa essentiam & definitionem non habent communem. Ergo nec propria communia. Propositio probatur. Que indissolubili nexu perpetuo sunt juncta, eorum uno communicato, communicatur & alterum. At propria & essentia indissolubili nexu sunt conjuncta, ut supra monstravimus. Assumptio syllogismi principalis indiga probationis non est. Nec enim ignis de essentiâ est ferri: nec materia de essentiâ formæ: nec divinitas de essentiâ humanitatis. Ad absurdum igitur sententiam hanc ita deducimus. Que propria habent communia, ea essentiam habent communem. At subjecta realiter diversa, propria habent communia, ex adversariorum mente. Ergo & essentiam habent communem. Porro, que essentiam habent communem, ea realiter non sunt diversa. Atqui subjecta realiter diversa essentiam habent communem. Ergo subjecta realiter diversa non sunt realiter diversa.

II. Quibus subjecta à se invicem distinguuntur, iis non conveniunt. At propriis subjecta invicem distinguuntur. Ergo iis non conveniunt. Propositio manifesta est, quia principium distinctionis non est principium convenientie. Assumptionem philosophantium praxis communis confirmat. Cum n. ignote sint ut plurimum formæ rerum substantiales, differentiarum loco in definitionibus propria ponunt, tan-

vunt, tanquam infallibiles naturarum distinctarum characteres. Est hoc quod patres Connimbricenses comment. in 4. cap. de proprio quæst. 1. art. 2. affirmant. Diversæ, inquiunt, proprietates ideo procurantur à naturâ, ut specierum diversitas & essentia inæqualitas innotescant, operationumque diversitas exerceatur. Ad absurdum igitur adversam partem ita adigimus. Quibus subjecta realiter diversa conveniunt, iis non distinguuntur. At propriis conveniunt, ex mente adversariorum. Ergo iis non distinguuntur. Porro, Quibus subjecta realiter diversa non distinguuntur, ea non sunt propria. Atqui propriis subjecta realiter diversa non distinguuntur. Ergo propria non sunt propria.

III. Quicquid naturarum realiter diversarum parit confusionem, id monstruosum est. At communicatio priorum, inter subjecta realiter diversa, naturarum diversarum parit confusionem. E. Propositioni omnes adsentiuntur. Assumptio probatur. Quod communem facit propriam disparati essentiam alteri disparato, id diversarum naturarum parit confusionem. Atqui communicatio priorum inter subjecta realiter diversa, communem facit propriam disparati essentiam alteri disparato (sunt enim propria essentia juncta nexu inviolabili.) E. naturarum parit confusionem.

IV. Si unio duorum disparatorum in causâ est, ut propria communicentur, omnia ferè continentia & contenta, modo agere invicem & pati possint, propria communicabunt. Atqui falsum & absurdum hoc. Ergo & illud. Clamabunt hic Stentores, & connexum negabunt: dicent, non eam esse in quibusvis continentibus & contentis unionem, que ad priorum requiritur communicationem. Quæ tandem verò illa unio, quam priorum sequitur communicatio? Omnes recensere modos prolixum nimis foret: Exemplum tantum adversariorum unicum inspiciamus. Ajunt, ferreo stylo vim trahendi ferrum conciliari à magnetis particulis ferro ex affricatu adherescentibus. Unionem quis quæso levissimam esse non agnoscit? Necnulla hîc vel mistio, ut in composito pharmaco è diversis simplicium speciebus: nec *ἔκχυσις* seu permeatio, ut in ferro ignito: neq; enim omnes styli partes permeat magnes, iisdq; penitissime se insinuat, sed levissimè tantum extrinsecus adherescit, tam à superficie exteriori, sui soli adhaeret, separatu facilis, quàm affricatu. Itaq; patet ad pro-

B ij

priorum

priorum communicationem etiam levisimam sufficere disparatorum unionem, quae in plerisque continentibus & contentis reperitur. Quid obstat igitur, quo minus Diogenis dolio Cynici, Mercurii caduceo serpentum proprietates communicari affirmemus, cum unio debilior non sit, quam ferri & magnetis: Imò Diogenem dolio forsitan agrius excusseris, quam ferro magnetem. Quod vero illud dolii monstrum, quod vitam moresque Cynicos praeseferat? Pereat igitur absurdum de communicatione priorum dogma.

PROBLEMA VII.

An distinctione Subjectorum in $\pi\epsilon\omega\tau\alpha$ καὶ $\delta\delta\tau\epsilon\gamma\gamma$, $\kappa\omicron\iota\nu\omega\nu\iota\alpha\varsigma$ in $\kappa\omicron\iota\nu\omega\nu\iota\alpha\nu$ κατὰ $\mu\acute{\epsilon}\theta\epsilon\zeta\iota\nu$ & κατὰ $\sigma\upsilon\nu\delta\upsilon\alpha\sigma\iota\nu$ dogma, de priorum communicatione, rectè excusetur & defendatur? *Neg.*

Rationes nostras contra monstruosam priorum communicationem elidi facile posse adversarii opinantur, si inter subjecta $\pi\epsilon\omega\tau\alpha$ καὶ $\delta\delta\tau\epsilon\gamma\gamma$: $\kappa\omicron\iota\nu\omega\nu\iota\alpha\nu$ κατὰ $\mu\acute{\epsilon}\theta\epsilon\zeta\iota\nu$ & κατὰ $\sigma\upsilon\nu\delta\upsilon\alpha\sigma\iota\nu$ distinguant. Unde in ore illis perpetuo: propria quidem unius subjecti alteri realiter diverso non communicari κατὰ $\mu\acute{\epsilon}\theta\epsilon\zeta\iota\nu$, uti nostra probant argumenta; attamen κατὰ $\sigma\upsilon\nu\delta\upsilon\alpha\sigma\iota\nu$: Subjecta sua $\pi\epsilon\omega\tau\alpha$ semper agnoscere, interim tamen aliis $\delta\delta\tau\epsilon\gamma\gamma$ rectè attribui. Vanitas effugii ut rectè patefcat; tenendum quid $\pi\epsilon\omega\tau\omega\nu$, seu primum subjectum, quid $\delta\delta\tau\epsilon\gamma\gamma$, seu secundum sit. Item quae utriusque $\kappa\omicron\iota\nu\omega\nu\iota\alpha\varsigma$ seu communicationis descriptio ab adversariis exhibeatur. $\pi\epsilon\omega\tau\omega\nu$ $\psi\omega\kappa\epsilon\iota\mu\epsilon\nu\omega\nu$ affectionis alicujus vocari in scholis solet, quod primario, non per aliud prius, affectionem sibi vendicat, & cum ea recipitur. Sic sensus subjectum primum & adequatum, est animal: hoc enim sensum primario sibi vendicat, & cum eo convertitur, ita, ut animal qua animal sentiat. Unde animal esse sequitur, quidquid sentit. $\delta\delta\tau\epsilon\gamma\gamma$ $\psi\omega\kappa\epsilon\iota\mu\epsilon\nu\omega\nu$ est, cui affectio inest secundario, ratione subjecti primarii, cuius essentiam participat: unde affectio cum eo non rectè

non recipiatur. Sic δὲ λέγουσιν ἰσοκύβητος sensus, est homo sentis
enim non qua homo, sed qua animal seu particeps natura animantis.
Sensus igitur cum homine minime recipiatur: quamvis enim omnis
homo sentiat, non tamen continuo homo est quicquid sentit. κοινωμία
ἢ μέθεξις est, qua plura eiusdem rei nomen & naturam parti-
cipantia, propria quoque eius sibi habent communia & inhæ-
rentia. Huiusmodi κοινωμία datur inter genera & species: species
& individua. κοινωμίαν κατὰ συνδυασίων vel κατ' ἐνωσίων describunt
inventores eius, quod eiusmodi sit communicatio, qua propter
unionem id, quod unius est proprium, sine sui vel multiplica-
tione, vel transfusione, subjecto alteri realiter diverso ad
communem possessionem, usurpationem, & denominationem,
realiter confertur. Hæc est Pandora illa, quæ creatorem & cre-
aturam, cælum & terram conscientiosi nonnulli (si diis placet) mi-
scunt, & impune confundunt. Iudicium de hoc invento nostrum se-
quentibus duabus assertionibus ferimus.

I. Distinctio Subjectorum, in τῶν ἑωτῶν & δὲ τῶν ἄλλων, rita in
philosophorum scholis, locum habet in iis tantum, quæ essen-
tialiter à se pendent. Hoc enim sensu à philosophis primum est tra-
dita, huic soli rerum veritas adstipulatur. Ad disparata igitur eam
referre, est abuti eâ præter philosophorum mentem, magno veritatis
incommodo.

II. κοινωμία ἰδιωτικῶν ἢ συνδυασίων uti describitur, purum
putum est figmentum, recens nuper excogitatum: ad veritatem op-
primendam natum: vero exemplo nullo confirmatum: ita denique
comparatum, ut ne sana quidem ratio assequatur. Quis n. fieri pos-
sit ut unum numero proprium subjecto suo soli & uni inherens, ab al-
io nihilominus realiter diverso subjecto possideatur, usurpetur, ita
ut & inde denominetur, nec mens concipere, nec os eloqui valet. A-
junt per unionem hoc intimam fieri. Rem hoc non est explicare, sed
glaucomate obscurare. Dicit enim realiter, vere & proprie de aliquo,
uti accidentiæ, inherentiæ vulgò dictæ, de substantiis, requirit inesse,
non adesse tantum per subjectum realiter diversum. Et si adesse tantum
per unionem quantumvis arctissimam sufficit, ut unius subjecti pro-
prium de altero dicatur, quidni & natura unius de alterius dici natura
possit, cum disparata nature per se uniatur, propria a. per hæc?

PROBLEMA VIII.

An inhærentia de essentiâ accidentis sit? *Affirm.*

Pontificiorum Doctores Scholastici inhærentiam distinguunt in aptitudinalem & actualem: illa est, quâ accidentia propensa sunt ad inhærendum: hæc, quâ actu inhærent subjectis. Hanc distinctionem, inquit Fonseca, à nullo philosophorum inventam aut approbatam esse, nisi postquam fide constitit, accidentia sacre Eucharistiæ non existere in substantiâ, ut ante consecrationem inerant. Omnes enim, antequam mysterium hoc divinitus revelatum erat, existimabant nullam aliam esse inhærentiam nisi actualem, adeoque implicare contradictionem accidentibus, ita separari à subjectis substantiis, quibus actu inhærent, ut separata existerent in rerum naturâ. Apparet igitur, quid Scholasticos moverit, ut inhærentiam actualem de essentiâ esse negarent: solum nimirum figmentum de actuali accidentium panis & vini in S. Eucharistiâ separatione & existentiâ extra subjectum: absq; hoc si esset, nihil impediret, quo minus actualem inhærentiam de essentiâ accidentis esse ultrò concederent. Cum igitur impium & absurdum istud sit figmentum, rectè asserimus, actualem inhærentiam de essentiâ accidentis esse, idq; ob sequentes rationes.

I. Quia secundum commune omnium philosophorum pronuntiatum, accidentium esse, est inesse: inesse, inquam, non tantum propensum esse ad inesse. Hinc Aristot. 7. Metaphys. cap. 1. text. 4. Accidentia non sunt Entia, nisi quia entis.

II. Quia accidentiû essentia, cum perfectè ab ipsis etiam Scholasticis declaratur, per subjectam substantiam necessario definitur; nullam aliam ob causam, nisi quia essentialiter ab eâ pendent, ita ut per eam & in eâ sint. Unde iterum Aristoteles: Necesse est in cuiusque accidentis ratione esse rationem substantiæ.

III. Ut se habet esse per se ad substantiam; ita esse in subjecto, ad accidens

ad accidens. Atqui essentia substantia in eo est posita, ut actu cohaereat sine subjecto. Ergo & accidentis essentia in eo consistet, ut actu inhaereat subjecto.

IV. Si accidentia per aliquod aliud ab essentia ipsorum sejunctum inhaerent subjecto, non erunt utiq; per se & essentialiter accidentia. Nec n. substantia esset per se & essentialiter substantia, si per aliud ab essentia sejunctum existeret. Atqui falsum consequens, & contradictionem implicat. E. & antecedens.

V. Aut inhaerentia actualis est modus entitativus accidentis, idem ex natura rei cum accidente, aut aliquid aliud. Si prius, firma & vera est nostra sententia. Si posterius, E. cum & illud subjecto inesse debeat, iterum querendum erit, an inhaerentia sit de essentia eius: & sic in infinitum ibitur. Prior igitur sit potior sententia.

VI. Si sola aptitudinalis seu potentialis inhaerentia est de accidentis essentia, vel ipsa, uti dicunt, accidentis essentia, actualem essentiam accidentia non habebunt. Atqui falsum & absurdum hoc. Ergo & illud.

PROBLEMA IX.

An Adjuncta dentur negata?

Neg.

Contradicit nobis Severinus Sluterus commentar. in XI. cap. lib. prioris Ramae logica: ubi 4. monstrare nititur rationibus, in hoc axioma, Homo non est pius, subjectum & adjunctum disponi, & proinde non pius habere se ad hominem, ut adjunctum negatum ad subjectum. Sententiam hanc Ramo & veritati contrariam merito rejicimus, idq; ob sequentes rationes.

I. Omne consentaneum cum re, quam arguit, consentit. At pius esse cum homine, in axioma modo dato, non consentit. Respectu igitur hominis consentaneum non est. Propositio definitionem continet consentanei ab ipso Slutero approbatam. Assumptionem probo. Quod de aliquo negatur, id cum eo non consentit. Atqui pius esse de homine negatur. Ergo cum homine non consentit. Sed pro syllogismi nostri assumptionem negat Sluterus. Rationem negationis reddite

reddat, quod fundamentum Dissentaneorum non sit negatio, sed naturalis vel respectiva rerum disensio. Sic & Consentaneorum fundamentum, ait, esse, non affirmationem, sed ipsam rerum naturalem consensionem. Respondeo Non explicat sese, sed implicat Sluterus. Quanquam enim primum consentaneorum fundamentum est consensio, dissentaneorum disensio, ex ipsa tamen affirmatione & negatione verissime estimantur consentanea & dissentanea, cum immediate & perpetuo consensionem & disensionem sequantur: quae enim consentiunt, affirmantur; quae dissentiunt, negantur. Sic igitur arguo. Inter quae est consensio, ea de se affirmantur. Atqui, pius esse, de homine hic non affirmatur. E. inter ea non est consensio, & proinde consentanea non sunt. Vis veritatis fateri Sluterum cogit, Consentanea propter naturalem rerum consensionem enunciari semper affirmando per se; per accidens a sepe negando enunciari. Resp. 1. Verba sunt: consensionis n. naturalis perpetua comes est affirmatio: hac a. illius certissima index. Quam primum igitur negatio intercedit, sublatum esse consensum, & in disensum abiisse certum est: negatio n. non nisi ex disensu nascitur; aut probet Sluterus ex consensione quoque nasci: quod ἀπορον. 2. Si per accidens tantum adjuncta quaedam sunt negata, cur distribuit Sluterus ea in affirmata & negata? quando membra distribuentia distributo non accidentalia, sed essentialia esse debent. At negatio hæc, inquit, non oritur ex infesta & pugnante natura: non tollit igitur ipsam naturalem rerum consensionem. Quid audio? nullave ergo dissentanea nisi quae pugnante & infesta sunt natura? Quid ergo de Diversis statuendum fuerit, quae ratione tantum dissentiant? hoc est, Slutero interprete, quae, quamvis per naturam consentanea esse possunt, respectu tamen causa extrinsecus advenientis, aut subjecti alicujus, unum affirmatur alterum negatur, & sic ad dissentaneorum classem referuntur. Nonne igitur, eadem plane ratione, negata quae vocat Adjuncta, in dissentaneorum diversorum censum transeunt? Hac prima ratio.

II. Omne adjunctum proprie dictum aut inest, aut adest subjecto, aut loco continetur, aut in alio occupatur. Atqui consequens axiomatis dati, nec inest vel adest subjecto, aut alio modo adjungitur. E. adjunctum non est. Respondet Sluterus. 1. Quod pietas sit adjunctum

junctum inhaerens: licet enim, ait, non inhaereat huic individuo, homini; Attamen ejus inhaerentia simpliciter neganda non est. *Resp.* Si axioma accuratius inspicias, speciale, non universale esse deprahendes: consequens igitur cum subjecto conferendum, non cum eo quod sub subjecto non continetur. Cum igitur huic subjecto, de quo negatur, non inhaereat, utiq; habere se ad id, ut adjunctum inhaerens ad subjectum, nequit. 2. *Addit:* Si homo & pius sunt subjectum & adjunctum, eadem habebis argumenta, si dixeris, homo non est pius: quia, sicut se habet affirmatio, ita quoq; se habet negatio & privatio. *Egregia vero haec est consequentia ratio!* Esse eandem affirmationis & negationis rationem, quis nisi mentis egra concesserit? Negatio disensionem, affirmatio consensionem sequitur, ut ipse fatetur: illa disjungit, haec conjungit: eademne ergo utriusq; ratio? 3. *Subjicit*, propositionem veram tantum esse de adjunctis affirmatis & non negatis. *Viderat priores responsiones nullius esse ponderis, ideoq; ad distinctionem tandem suam, seu confusionem potius confugit, & quod in questione est, tanquam confessum & concessum sumit.* *Propositio*, inquit, est tantum vera de affirmatis. *At propositio*, inquam ego, *adjunctis definitiones & distributiones generales complectitur, quales haecenus a philosophis tradita, & ab ipsomet Ramo indicata.* Cum igitur negata adjuncta plane excludantur, notha ea esse a philosophis aestimata, & in adjunctorum numero minime habenda, recte concludimus.

III. *Adjunctum*, inquit *Ramus*, est cui aliquid subjicitur. *At pietati in axioma* homo non subjicitur. *Adjunctum igitur eius non est.* *Assumpt. prob.* Cui aliquid fundamenti instar subjicitur, id ad idem quoq; tanquam subjectum refertur & in eo fundatur. *Atqui pietas haec ad hominem non refertur, nec in eo fundatur. Ergo homo ei non subjicitur.*

IV. *Si consentanea, qua talia, possunt esse negata, etiam dissentanea poterunt esse affirmata. Atqui haec, qua dissentanea, affirmata non sunt. E. nec illa. Patet propositionis consequentia; quia de similibus simile est judicium. Et quae causa quæso majoris prerogativæ in consentaneis quam in dissentaneis? Certè, si negatio consensionem non tollit, nec affirmatio disensionem tollet. Assumpt: omnis logicorum turba, & cum eâ Sluterus approbat.*

C

V. Quod

V. Quod hominis adjunctum esse negatur, id non est adjunctum hominis. Atqui pietas, in isto axioma, hominis adjunctum esse negatur. E. non est adjunctum hominis. Propositio per se manifesta est, & similibus exemplis confirmatur: quod n. hominis genus esse negatur, id non est genus hominis. Item, quod effectum causa esse negatur, id non est effectum causa. Perinde igitur est, si dicas, mundum non esse effectum angelorum, ac si dixeris, angelos non produxisse mundum. Assumptio est ipsius Sluteri. Sed satis de hisce.

PROBLEMA X.

An omne adjunctum commune à suo sub-
jecto salvo & incolumi sit separa-
bile? Neg.

Porphyrius 5. suo cap. Accidens (quo nomine adjunctum intelli-
git commune) describit, quod adest atq; abest sine subjecti corru-
ptione. Inde statim idem dividit in separabile & inseparabile. Cru-
dam videtur contradictionem committere. Nam, si accidentia qua-
dam sunt inseparabilia, utiq; non omne accidens adesse poterit & ab-
esse sine subjecti destructione. Hunc tamen ut scopulum evitet, de se-
paratione, non reali, sed mentali se loqui innuit, dum inquit: Æthi-
opē non nigrum sine subjecti corruptione concipi posse. Sen-
sus igitur definitionis hic fuerit: Accidens est, quod cogitatione
separari potest à subjecto, sine ejus corruptione. Hac explica-
tione & excusatione à Peripateticis multi acquiescunt. Nos eam non
admittendam existimamus, hanc moti ratione. Dantur accidentia seu
adjuncta communia, quae ne cogitatione quidem separari à subjecto
possunt, citra destructionem vel contradictionis implicationem. Ergo
accidenti in genere non competit, cogitatione à subjecto separari pos-
se. Antecedens probatur. Quantitas hominis adjunctum est com-
mune, nec tamen separari vel cogitatione ab homine potest, citra cō-
tradictionis implicationem: Hominem n. non quantum concipere,
est non corpus concipere. Omne n. corpus quantum est: & quod quā-
tum non est, corpus non est. At hominem non corpus concipere, est
non animal

non animal concipere. Omne enim animal est corpus. Et quod corpus non est, animal non est. Hominem vero non animal concipere, est hominem de homine negare. Omnis enim homo animal, Et quod animal non est, homo non est. Cogitatione igitur quantitatem ab homine separare, est contradictionem implicare, hominem non hominem sibi imaginari. Aliorum plurimorum accidentium eadem est ratio. Haftenus problemata logica.

DECAS
PROBLEMATUM MISCEL-
LANEORUM.

I. *Metaphysicum.*

An in aeternitate detur successio? *Neg.*

II. *Physicum.*

An Gravitas sit qualitas motrix ad universi centrum?

Cum D. Keplero, exercitii gratia, negabimus.

III. *Astronomico-physicum.*

An caelum naturale per se sit rotundum, & in orbem moveatur? *Neg. utrumq.*

IV. *Geometricum.*

An unum à duob. ratione loci aut magnitudinis, longissimè possit distare? *Neg.*

V. *Ethicum.*

An iustitiae particularis, in distributivam & commutativam, distributio sit legitima? *Neg.*

VI. *Politicum.*

Vtrum plus periculi à Principe malo, an à Consiliariis malis? *Prius aff.*

C ij

VII. Poli-

VII. Politico-theologicum.

An homini inter idololatrias gentes degenti, sacris idololatricis ex periculi metu interesse, cultumq; verbis aut gestibus simulare liceat? *Neg.*

VIII. Historicum.

An in rerum naturâ dentur Gryphes? *Aff.*

IX. Rhetoricum.

An copula axiomatis Tropi sit capax? *Neg.*

X. Medicum.

An variolarum materia sint reliquia excrementitiæ sanguinis menstrui, quo nutritur foetus in utero?
Contra Arabes, negatur.

Δοκιμάζετε πάντα.



V017


ULB Halle
003 252 043

3



Sb.





B.I.G.

Farbkarte #13



4612.2

NOVEM

SITIO-

SOPHICA=

D JUNCTIS

bus,

S,

ANCTA IN MONADE

ES

US SCHRÖTERUS

athem. in illustri

rasio Professor

dinarius.

ENTE

ALDO SER VESTANO

am Dissertationem

oponit.

Septembris.

τον μέλλοντα φιλοσοφείν.

ΤΑΕ,

eriano.

IS C XII.

